This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

4 . 27/ 1 . 27 . 0

G. 77. a. 14

E. BIBL. RADCL.

19118 e . 23 .

600036412M

SYSTEMA ALGARUM

ADUMBRAVIT

C. A. AGARDH,
Bot. et Oec. Pr. Prof. Reg. et Ord.; Reg. Acad. Scient. Holm., Reg. Ac. Oec. Holm., Ac. Cæsareæ Leopoldi. Naturæ Curiosorum, Reg. Soc. Scient. Litt. Elegant. Gothob., Reg. Soc. Patr. Holm., Reg. Soc. Bot. Ratisb. et Societ. Nat. curios. Berol. Sodali; Reg. Soc. Oec. Marchio-Brand. atque Societ. Mus. Bohem. Membro Honor.; Reg. Acad. Scient. Litt. eleg. Cadom., Societ. Linn. Paris., Societ. Linn. Calvad., et Societ. Hist. Nat. Paris. Corresp.; Soc. Physiogr. Lund. Secret.

LUNDÆ,
Literis Berlingianis,
1824.

Illustrissimo Sr
auctor

Nos cantabimus invicem
Neptunum, et viridis Nereidum comas.

HORAT.

SERENISSIMO PRINCIPI

JOSEPHO FRANCISCO OSCARIO,

PRINCIPI HÆREDITARIO REGNORUM SVECIÆ NORVEGIÆQUE,

REGI VICARIO NORVEGIÆ,

DUCI SUDERMANNIÆ,

CANCELLARIO

ACADEMIARUM SCANDINAVIÆ.

DOMINE CLEMENTISSIME!

Academiam Carolinam, quamquam ultima e sororibus in singulari tuo patrocinio implorando fuerit, non tamen ultimam in eo merendo existimes. Illa enim vestalem scientiarum ignem tueri, ejusque

vim pleo ingenii vel studiorum æthereo nutrire et augere, sui officii esse, minime ignorat. Et cum in tenebris obmutescunt literæ, ut quondam statua Memnonis nonnisi radio Solis tacta voce gaudebat, sic Academia, quam Tu illustras, reviviscet et vigebit.

Hujus sensus, a nullo Carolinæ membro alieni, meam partem etiam lætus mihi vindico; et ut in quoque coetu infimus et maxime ignobilis suffragia primus inire solet, sic ego primus tenuem corollam, ut Botanicum decet, ad Tuos pedes depono.

Si verum est, naturæ disciplinas in nostro Lyceo florere, sub tuo patrocinio, flore absoluto, fructus feliciter maturescent. Tu enim non solum, ut plerique Principes, eas amas, sed ut pauci, ipse colere non dedignaris.

Neque in gratia referenda umquam Illæ defuerunt. Vates quidem sæpissime memoriam Mæcenatum immortalitati voverunt; sed non nisi lingua ambitus angustioris, dubiæ perennitatis. Linnæus vero florem Augusto Svecorum dicavit, qui nomen Illius in longinquis terris quotannis celebrat, et, quamdiu tellus circa solem volvitur, celebrare numquam cessabit.

Linnæum quidem jam frustra quæris. Sed auspiciis tuis renascetur; et cum amor populi memoriam Tuam diu pie servabit, cum Historia Te per sæcula commemorabit, affiget ille ipsi Naturæ Tuum nomen non moriturum.

Humillime, devotissime
C. A. Agardh.

Præfatio.

Impressione operis nostri, *Species Algarum* inscripti, non nostra culpa sed infelici casu, abrupta, hanc sciagraphiam nostræ Algas disponendi rationis evulgare coacti sumus. Illam tamen ita publico tradere voluimus, ut simul esset enchiridion Algologiæ universalis & introductio ad historiam hujus maxime memorabilis classis plantarum. In quo vero nostro systemate, si nonnumquam a ceteris auctoribus discessimus, id nec pruritu novitatis neque contemtu operæ aliorum Algologorum nostri temporis, qui omnes fere amicitia arctissima nobis juncti sunt, nos fecisse manifestum est. Eandem enim has plantas disponendi rationem jam longe abhinc & fere ab initio nostri studii amplexi sumus, idéo ceteris plerisque antiquiorem. Neque despicere aliorum operam is potest, qui ipse difficultatem hujus studii cognoscit, vel is errores severe imputare, qui ipse illos in hac parte Botanices minus quam in ceteris evitandos esse sæpissime expertus fuit. Quod insuper eo minus in nos cadere potuit, cum ex scriptis plurium auctorum pleraque hausimus, quæ nostro propositó quodammodo inservire potuerint, tam species novas, quam genera bene

constituta, nostro systemati annectentes. Methodi autem novissimis temporibus editæ aut universales sunt, ut *Linkii* & *Lyngbyei*, aut partiales, ut *Bonnemaisonii*, *Boryi*, *Neesii*. *Linkius* a nostra videndi ratione non plane alienus est, sed cum tantum primas lineas suæ dispositionis videre nobis contigit, ea minoris, quam optaremus, usus nobis esse debuit. *Lyngbyei* methodus eximiis iconibus illustrata, plena & propria cognitione specierum munita, atque Logica firmissimaque ratione tota constructa multum nos allicuisset, nisi plane fuisset artificialis, ideoque auctor a nostra omnino divergentem viam ingressus esset. *Bonnemaisonius*, qui genera tantum articulata & gelatinosa tractavit, a nobis non tantum quoad ipsa genera & familias (species enim, ut & sequentes, non tetigit), verum & quoad earum ordinandi rationem multum abhorret. *Boryus*, plus quam ceteri nobiscum congruens, egregiis & raris observationibus suam methodum Algarum inferiorum ornavit *). Et *Neesius* tandem, qui nil tangit,

*) Valde dolemus nos novissima scripta Boryi nondum vidisse. In Dict. d'Hist. Nat. plures nempe articulos huc spectantes pro more, singulari ingenio & eruditione, elaboravit, quorum tantum articuli *Arthrodieæ* & *Cahodineæ* gratia auctoris usque ad nos perveneruut. — Systema *Mertensii*, opus triginta annorum, in flora sua Germanica proditurum speramus. — *Turnerus*, qui ad hanc partem scientiæ reformandam natus esse videbatur, & *Lamourouxius*, cujus in eandem merita semper manebunt, illum campum jam deseruisse videntur. — *Hooker*, *Wahlenberg*, *Kunth* nostram methodum secuti sunt.

cui non, ut *Deucalion* *), vitam inspiret, methodum Algarum plane physiologicam proposuit. His autem ipsis clarissimis viris gratum erit, quod non cœci, sed oculis apertis & attentione maxima, eos secuti sumus, atque quod non ex arrogantia quadam, sed ex impossibilitate aliter videndi rem nostrâ, non eorum, ratione tractavimus.

Nomen *Algarum*, jam a Rothio datum, his vegetabilibus servavimus. *Thalassiophyta* & *Oceanides* angustius, *Hydrophyta* latius justo patent. Etiam in ceteris nomina antiquiora & recepta raro mutavimus.

Terminos novos, ne barbarum videretur opus, quantum potuimus, evitavimus. Satius duximus terminos analogos ex ceteris plantis mutuare. Sic cum de *lomentis*, *siliquis*, *soris* &c. loquimur, tantum de organis analogis, quorum veram structuram in opere majori illustrare conati sumus, intelligendum est.

Jam a nobis stabilitas familias servavimus, æque, ut nobis videtur, naturæ congruentes, ac dignoscere faciles. Unam tantum addidimus ex plantis formatam, quæ nuperrime primum melius cognitæ fuerunt.

Genera, quot ab auctoribus bene constituta invenimus, lubentissimi introduximus; nova quædam adjecimus, aut singulari fructus conformatione, aut memorabiliter aberrante structura

---

*) Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit - - - - - OVID.

coacti. Ordo, quo ea proposuimus, is fuit, ut, naturæ vestigia prementes, a simplicioribus ad perfectiora sensim progressi simus. Affinia semper conjunximus, vel si eo communem notam sectionis infringeremus. Etiam incerta & loco dubia nonnunquam servavimus, quia illa præcipue ab omni parte examinari debent, ut certiora fiant.

Characteres generum, quibus brevitatis causa notas habituales inseruimus, a nobis sæpe minus bene exhibitos esse confitemur; quod partim ex conflictu artis & naturæ oritur, cum ars in suas jurat regulas, quas dedignatur natura, partim ex impossibilitate tenuissimarum plantarum tenuissimas partes rite examinandi. Hi characteres nostri sunt, humani, mutabiles & fugaces; non genera ideo sunt mutanda, quæ sunt Naturæ, typi divini atque constantes.

Species omnes nobis cognitas enumeravimus, sed leviter tantum, ut tulit ratio operis, adumbravimus. Synonymiam, præcipue earum specierum, quas non alibi illustravimus, completam dare conati sumus. Nomina auctorum fere innumera ex voluminibus multifariis effodimus atque suis locis *) inseruimus. In casu dubio distinguere tamen potius quam confundere voluimus. In re litteraria ut in publica, in libris

*) In omnibus iis generibus, quæ jam in opere nostro, *Species algarum* inscripto, illustrare licuit, icones tantum & ibi neglecta synonyma attulimus, nec non varietates, ut minoris momenti, absque diagnosi enumeravimus.

ut in intellectu, nil confusione deterius; & profecto serius atque difficilius res confusæ iterum distinguuntur, quam res male divisa iterum conjungitur. Distinctio nil est nisi accuratius examen, vel ejus indicatio.

Quod vero in eo capite, nempe in speciebus distinguendis & synonymis referendis, plures forsan errores commisimus, nemo mirabitur. Proveniunt & provenire debent, partim ex eo quod specimina originalia non omnium auctorum videre licuerit; partim quod interdum vel ipsa specimina originalia harum plantarum erronea sint; partim quod icones & descriptiones auctorum sæpe mancæ sint & imperfectæ; tandem, nobisque gravissimum, quod nobis Bibliotheca completa defuerit, ita ut omnes synonymias non potuerimus simul conferre.

Accedit difficultas ipsius studii harum plantarum, domicilium earum demersum, tenuitas partium, raritas fructus, mutatio plantæ exsiccatæ, impossibilitas culturæ, fallacia microscopii atque status chaoticus ipsius Algologiæ hodiernæ.

Quæ impedimenta profecto multo magis nos retinuissent, nisi Botanicis clarissimis maximopere fuissemus sublevati. Ditissimas collectiones perlustrare numquam nobis denegatum *). Species in itineribus collectas nobis

* In Svecia recensuimus collectiones *Swartzii*, *Acharii*, *Thunbergii*; in Dania *Hornemanni*, *Hofmanni*, *Colsmanni*; in Germania, *Mertensii*, *Schraderi*, *Neesii*, *Meyeri*, *Rothii*, *Hornschuchii*, *Flörkii*. In Gallia, *Jussieui*, *Desfontainii*, *Dæ*

communicarunt peregrinatores clarissimi *), & specimina originalia specierum descriptarum nobis donarunt plerique Algologi hodierni amicissimi & semper colendi **). Ex qua liberalitate, profecto rara & generosissima, factum est, ut si quid boni in hac nostra opella adsit, id vix nostrum sit meritum, sed eorum, qui ut socii ad commune opus contulerunt, & quicquid erronei contineat, id nobis tribuendum, qui tanta copia ***) tantoque apparatu non melius uti intelleximus.

M:æ de Bonnay, Boscii, Delessertii, Richardi, Humboldti, Boryi, Thuarsii, Brongnartii, Gayi, Palisotii, Desvauxii, Duvaui & Musei Publici.

*) *Tilesius, Langsdorf, Brown, Chamisso, De la Lande, Gaudichaud, Gillies.* Collectionem *Hænkeanam* perlustrandam communicavit Comes de *Sternberg*.

**) *Roth, Mertens, Sprengel; Lyngbye, Hornemen, Hofman; Bory, Grateloup, Bonnemaison, Gaillon, Lamouroux; Hooker, Brown; Bertoloni, Ruchinger; Clemente, Cabrera, Heredia; Torrey.*

***) Quæ species in collectione nostra desunt, signo † notavimus.

ALGÆ.

Plantæ aquaticæ acotyledoneæ & agamæ; gelatinosæ, membranaceæ vel coriaceæ; filamentosæ, laminosæ vel tandem foliosæ; colore virides, purpureæ vel olivaceæ; articulatæ vel continuæ; sporidia aut pericarpiis inclusa aut superficiei inspersa foventes.

Potius classem plantarum quam familiam constituunt Algæ, quas in 6 sectiones, a nobis pro familiis habitas divisimus, pro structuræ, substantiæ, fructus & coloris diversitate. Licet structuram maximi momenti esse inter omnes conveniat, ita ut articulatas a continuis separandas esse judicent, tamen non negandum est eam notam genera maxime affinia interdum longe separare. *Hutchinsiam* & *Rytiphlœam Rhodomelæ*, *Champiam Chondriæ*, *Ptilotam* & *Digeneam Ceramio*, *Mesogloiam Chordariæ* valde affines esse judicavimus, licet in diversis familiis collocare charactere structuræ coacti fuerimus. Ejusmodi separationes minus naturales *colorem structuræ* præferendo sæpe nos evitare posse vidimus & sequenti modo Algas disponere multum & diu

animo volvimus, explicationem totius classis cum explicatione organica plantæ perfectioris, ut fert opinio hodierna, insuper comparantes:

I. Hyalinæ. *Diatomeæ* pleræque; quædam *Nostochinæ* & *Leptomiteæ* inter *Confervoideas*). - Radix.

II. Virides. (Pleræque & perfectiores *Nostochinæ*, *Confervoideæ* veræ & *Ulvaceæ* pleræque) - Herba.

III. Purpureæ. (Paucæ *Nostochinæ*, *Ceramieæ* inter *Confervoideas*, *Porphyra* inter *Ulvaceas* & *Florideæ* omnes) - - - - Flos.

IV. Olivaceæ. (Paucæ *Nostochinæ*, *Scytonema* & *Ectocarpeæ* inter *Confervoideas*, atque omnes *Fucoideæ*). - - - - Fructus.

Sed huic dispositioni obstant & ea genera, quæ aliter colorata sunt, & ea, quæ species diversi coloris includunt; profecto difficultates non magni momenti, cum illa vix genuina sunt, & hæc facile dividi possunt. Sed pro tempore hoc ita sit.

Ordo I. DIATOMEÆ.

Corpora variæ formæ, plana, crystallina, in frustula secedentia.

Corpora crystalliformia, lineis plerumque rectis circumscripta, atque aut aciformia, aut cuneiformia, aut quadrangula, rarius lineâ cur-

vâ circumscripta; ceterum plana, rigida, fragilia, in varias formas aggregata; aut nimirum in parallelogrammum aut, in circulum, aut apud superiores in filum; ex qua compositione, suo quodque modo sæpe maxime singulari, solvuntur. Pleræque in muco nidulantur. Color totius cæspitis in recentibus plerumque fusco-lutescens, exsiccatione in viridi-olivaceum pulchro vernice nitentem abiens. Individua sæpissime hyalina; sed si colorata, color lutescens.

Familia hæc nostra transitum regni vegetabilis ad inorganicum, ut *Nostochinæ* & *Confervoideæ* ad Animale efficiunt. Crystalla vegetabilia includit lineis rectis circumscripta & in corpus iterum crystalliforme aggregata, ea solum a mineralibus differentia, ut tandem, in individua secedant. Quibusdam animalculis etiam approximantur.

1. Achnanthes, *frons stipitata vexilliformis.* Marinæ.

Lineis parallelis quidem circumscribitur planta, sed angulis quodammodo curvatis. Secedit in frustula, sed sensim, unde interdum longior observatur, & tunc pro *Conferva* descripta; interdum brevior. Medio uniuscujusque articuli punctum unum vel alterum, quasi aqua crystallina esset, & coloratum, quasi sangvis animalculi.

2. Frustulia. *Frustula acicularia linearia vel cuneata muco obvoluta in corpus lineare aggregata.*

3. Meridion. *Frustula cuneata vel ovata in laminas planas aggregata, muco obvoluta.*

Genus a præcedente differens, quod frustula in laminas, non fila, coadunata sunt. Typus est *Meridion vernale* a Lyngbyeo, si de synonymo non fallor, in tab. 70 fig. 2 & 3. pictum quidem, non vero ita ut ipse illud vidi. Semiciculus (f. 4?) enim secundum meas observationes est status primarius individuorum, ita agglomeratorum, unde solvuntur, ut in fig. 2 apparent. Contra, secundum Bory, illi semiciculi sunt animalcula infusoria, ab ipsa planta valde distincta, & casu iis intermixta.

3447 4. Diatoma. *Fila articulata hyalina rigida simplicia, per bina longitudinaliter copulata, tandem articulis solutis angulo alternatim cohærentia.*

Formæ filiformi, licet adhuc plana, jam appropinquatur planta, ideoque magis ad Algarum naturam. — Sed etiam *Diatomata* in frustula secedunt, tamen non omnino separata, sed angulis pulcherrimo & maxime mirando modo cohærentia. Prima & ultima sectio adhuc genere dubiæ. In illa articuli rarius, in hac semper separati.

3446 5. Fragilaria. *Fila transversim densissime striata, ad strias fragillima et in frustula secedentia.*

Fila jam completa sunt, sed plana & composita ex frustulis transversaliter adglutinata, quæ angustissima sunt, & cum separantur, non cohærent.

6. Meloseira. *Fila articulata ad genicula constricta, fragillima et facile secedentia.*

Differt a præcedente, ut *Conferva* ab *Oscillatoria*.

7. Desmidium. *Fila transversim densissime striata mucosa flexilia virentia, in articulos semisoluta, eoque statu pinnatifida.*

Planta, cujus metamorphosin singularem in Sw. Bot. t. 491. exhibuimus, ad quam nova phænomena a me non visa addidit Lyngbye, primo aspectu vera Confervoidea esse videtur, quatenus flexilis & virescens atque subgelatinosa, non ut ceteræ in muco nidulans; sed eum plana est, dense striata, & articuli post dissolutionem singulari modo cohæreant, hujus familiæ esse debet, licet transitum per *Bangias* ad *Confervoideas* manifeste faciat. — Altera species, *Desm. tenax*, vix genuina, ex habitu tamen similis, & proxima, donec melius investigata sit, hic annectenda.

8. Schizonema. *Fila fasciæformia e filis angustioribus coadunatis composita granula elliptica includentibus, in quæ iterum secedunt.* Marinæ.

Plantæ jam toto habitu & substantia flexili *Confervoidearum* indutæ. Summum perfectionis punctum suæ tribus adeptæ, ideo non cum *Confervoideis* conjungendæ. Color in vivis rutilans & fuscus, in exsiccatis olivaceus nitidissimus. Compositæ sunt e pluribus individuis, licet filiformibus, iterum includentibus eadem fere corpuscula quæ in *Frustulia* & *Meridione* invenimus. Hæc omnia locum inter *Diatomeas* certissimum huic generi assignant. Ramosa apparent & ab auctoribus ita describuntur, quod

tantum ex fissione filorum oritur. Odor plerumque fœtidus.

Appendix.

9. Gomphonema. *Fila flexilia ramosa apice clavas geminas ferentia.*

Species huc a me relatæ a ceteris omnibus Algis valde distant. Jam vero inter eas a Lyngbyeo, nimirum inter suas *Echinellas* (h. e. *Frustulias* mihi), receptæ. Potius ad animalcula infusoria, ex quadam similitudine cum *Vorticellis* stipitatis, vel etiam potius ad Zoophyta referendæ, modo in iis vita animalis detegeretur. Etiam cum Diatomeis parum commune habent, vixque ad eas transeunt. Appendicis loco itaque hic tantum adjectæ.

Ordo II. NOSTOCHINÆ.

Individua plura globulosa vel filiformia in gelatina definitæ formæ nidulantia.

Evanuit forma crystallina & rectilinea, nitor vitreus & rigiditas, quæ omnia antecedentem familiam in regni inorganici limite posuerunt. In limitem regni animalis ingressi sumus. Per gelatinam organicam incipitur, sed memorabile, quod, ut in præcedente familia, individua non libera sunt, sed in civitatem formæ definitæ coacta. Prima tamen genera simplicitate maxima gaudent, globulis nudis & gelatina fere nulla (*Protococcus*), vel informi (*Palmella*) involuta. Mox vero globuli

illi in seriem filiformem conglutinantur (*Nostoc*); unde articulatio prima oritur. Forma frondis universalis primum expansa est, mox fit globosa (utraque in *Nostochio*), & tandem frondosa (in *Chætophora*), in quo ultimo genere primum individua fiunt ramosa, vere articulata & simillima *Confervoideis* veris.

Exclusimus *Batrachospermeas* & ad *Confervoideas* relegavimus, quia frons ex unico individuo constat, & quia mucus ex ipso filo oritur, neque fila in muco nidulantur.

10. Protococcus. *Globuli aggregati non mucosi.* Terrestres.

Initium hujus familiæ, in quo itaque ejus character parum adhuc cernitur. Globuli fere liberi & muco vix involuti. Inde vacillans locus inter animalcula infusoria & Algas. Sed harum duos colores, viridem roseumque, ambæ species jam indicant.

11. Palmella. *Gelatina hyalina, expansa vel globosa, granulis discretis globulosis vel ellipticis farcta.* Inundatæ vel palustres. 3445. Coccoch

A præcedente differt, quod globuli in gelatina nidulantur. Ceterum hic etiam ambi algarum colores adsunt. *Palm. rupestris* globuli per quaterna aggregata sunt, ita ad *Tetrasporas* transientis. Plures species huc numeratæ forsan non nisi ovula animalculorum.

12. Echinella. *Gelatina subglobosa hyalina corpusculis ellipticis radiantibus farcta.* Palustres. 3446.

2 Hydrocoryne Schweig.

3447. Badiaga

Genus, ut ab Achario constitutum fuit, proposuimus, licet vegetabilis ejus natura vix certa sit & tantum infusoria vel ovula animalculorum complecti videatur.

13. Gloionema. *Gelatina filiformis tenax corpusculis ellipticis longitudinaliter seriata.* Palustres.

Ens singulare in nostris aquis non infrequens, sed dubiæ naturæ. Quodammodo similis filis ovulorum, quæ plura amphibia demittunt. Substantia elastica, tenax, hyalina, corpusculis ellipticis viridescentibus.

14. Alcyonidium. *Frons spongiosa succosa lobata, granulis repleta.* Marinæ.

Genus inter Algas perfectiores a Lamourouxio antea, jam inter Zoophyta collocatum, cujus posteriorem sententiam confirmavit Gaillon, qui animalcula nidulantia vidit. Alii, ut d'Orbigny & Ellis, pro ovulis animalis testacei habent. In hac diversitate genus ut antea inter Algas servamus, quamvis etiam nos extraneum credamus.

5444. 15. Nostoc. *Frons gelatinosa, expansa et plicata, vel globosa, filis moniliformibus curvato-crispis farcta*

Sententiæ nostræ de hujus in *Collema* metamorphosi postea nova vidimus documenta.

16. Hydrurus. *Frons gelatinosa filis coadunatis hyalinis granula elliptica seriatim continentibus composita.*

Vix ulla planta ad tot diversissima genera relata fuit, ac quæ hoc genus constituunt. Af-

finitas ejus difficile eruitur, & parum iis affine videtur, ad quæ antea relatum fuit, multo magis cum *Schizonemate* conveniens.

17. Corynephora. *Frons gelatinosa subglobosa bullata, filis articulatis hic illic clauiferis farcta.* Marinæ.

A *Nostochio*, cui habitu similis, differt structura.

18 Rivularia. *Frons gelatinosa subglobosa, filis e communi centro prodeuntibus radiantibus, globulo insidentibus continuis, intus annulatis farcta.*

Genus antea *Chætophoris* conjunctum, a quibus habitu, colore, substantia, structura, simplicitate filorum valde distinctum.

Frons globosa, & non (nisi in specie unica nobis ignota & certe extranea) frondosa; gelatinosa quidem, sed duriuscula. Color atrovirens, nec ut in *Chætophora* læte virens. Fila maxime singularia, globulo insidentia, simplicia, cylindrica, acumine tenuissimo terminata, densissime compacta, continua, sed materiâ viridi annulatâ farcta. Majora e centro prodeunt; alia minora ad eorum latera oriuntur, non vero iis affixa.

19. Chætophora. *Frons gelatinosa (globosa vel lobata) filis e communi basi prodeuntibus et radiantibus articulatis ramosis farcta.*

Genus a Confervoideis non aliter diversum, quam gelatina sua distincta. Color læte viridis. Substantia mollior, quam in præcedente. Fila sensim in acumen piliforme attenuata, in gelatina omnino hyalina nidulantia. Propa-

gatio non omnino obscura. In quibusdam speciebus, ut in *Chæt. pisiformi*, observantur corpuscula dura & crystallina (quasi essent particulæ arenæ), quæ a planta matre separantur & e quibus fila juniora egrediuntur. — Contra in *Chætophora clavata* observavimus acumina filorum in fundum decidere, atque ad commune centrum primum viride, dein nigrescens, & ut videtur, inorganicum, per 3, 4, 5 &c. congregari, atque in nova individua ita excrescere.

Appendix.

3437 20. Schythymenia. *Stratum coriaceum tenax e fibris granulisque intermixtis constitutum.*

Genus ad Ulvas antea relatum. Ad rupes madidas crescit. Habitus fungi. Nullum ei locum inter Algas veras invenimus nisi forsan prope *Palmellas*.

Ordo III. CONFERVOIDEÆ.

Fila intus vel extus articulata, libera, (h. e. non in definitam formam consociata).

Plura genera Confervoidea in limitibus familiæ posita & aliis familiis valde affinia videntur. Hic enim ordo, ut nucleus totius classis, tam ad infimas non tantum *Algas* sed & *Fungos* & *Lichenes* regreditur, quam in superiores, ut *Fucoideas* & *Florideas*, adscendit, imo ipsas plantas perfectiores quodammodo tangit. Divisimus itaque illum in plures tribus minus pro distinctis & vere circumscriptis sectionibus,

quam pro punctis variam explicationem naturæ indicantibus habendis.

a. Funginæ.

(Ex levi putredine quidem exortæ, sed humiditate puriori nutritæ, ad Algas plerumque relatæ).

21. Byssocladium. *Fila arachnoidea sporidiis cincta sparsis.* Leviter inundatæ.
Genus nondum rite definitum.

22. Syncollesia. *Globuli minutissimi in fila repentia cæspitosa coadunati.* Leviter inundatæ.
Genus antea a nobis *Cyclobion* dictum, quod nomen in Neesianum lubentes mutavimus. Continet quasdam species forsan in diversa genera postea collocandas, & pluribus generibus Fungorum valde affines, ut *Torulæ*, *Moniliæ*, *Fumagini*, quarum non alias attulimus, quam quæ jamdudum Algis ab aliis adnumeratæ fuerunt.

23. Mycinema. *Fila membranacea opaca tenacia colorata (plerumque fulva).* Leviter inundatæ.

b. Lichenoideæ.

(Coloratæ, rigidiusculæ, inundatæ).

24. Chroolepus. *Fila rigida subsolidæ opaca, in pulverem fatiscentia, torulosa.* Saxicolæ vel corticolæ.
Plantulæ duriores, rubicundæ vel rarius nigræ.

25. Trentepohlia. *Fila flexilia (colorata) capsulifera, capsulis plerumque ex ultimo articulo inflato exortis.* Inundatæ vel fluviatiles.

Genus nondum satis definitum, & postea omnino reformandum.

3427. 26. Scytonema. *Fila continua coriacea nuda (non mucosa) intus sporangiis annuliformibus vel polymorphis transversalibus parallelis farcta.* Saxicolæ & inundatæ, rarius marinæ.

3428. 27. Stigonema. *Fila continua coriacea nuda (non mucosa) intus punctis in annulos dispositis notatæ.* Saxicolæ.

Merito a præcedente separandum. Habitus magis Lichenosus. Color opacus fuscus, non luteo-aureus. Fila ramoso-spinosa, intus punctis discretis notata.

c. Byssoideæ.

(Radicantes, minutissimæ, virides vel fuscæ, Terrestres).

28. Protonema. *Fila subarticulata radicantia.*

Cui familiæ referendum genus atque an solus status cotyledoneus Muscorum &c., vel plantæ distinctæ, adhuc incertum.

d. Leptomiteæ.

(Subhyalinæ arachnoideæ, subarticulatæ. Primæ vegetationes aut in solutionibus chemicis, aut in aqua pura).

29. Hygrocrocis. *Fila hyalina arachnoidea obsolete articulata, in gelatinam informem vel membranam coloratam intertexta, fluitantia.* (Vegetationes solutionum chemicarum).

In plerisque solutionibus præcipue vegetabilium exortæ, e filis tenuissimis compositæ.

30. Leptomitus. *Fila hyalina vel levi tinctura colorata arachnoidea obsolete articulata, libera erecta (affixa, non intertexta).*

Vegetationes primordiales e corporibus organicis solvi incipientibus in aqua pura exortæ, iisque affixæ.

e. Batrachospermeæ.

(Mucosæ, biformes, filo primario axili emittente ramulos heterogeneos).

31. Mesogloia. *Frons filiformis cylindrica gelatinosa, ramis submoniliformibus compactis, e filo medullari radiantibus capsuliferis constituta.* Marinæ. 3441.

Batrachospermo magis affine genus quam *Chætophoris*, cui antea adnumeratum. Rami radiantes tam densi & compacti, ut tota frons massa solida videatur.

In duo genera pro coloris diversitate forsan dividendum.

32. Batrachospermum. *Frons filiformis gelatinosa ramis moniliformibus (ramosis) gemmiferis e filo primario egressis.* Palustres, rarius marinæ. 3439

Ramis laxioribus a præcedente genere differt, ut & fructu.

3440 33. Thorea. *Frons filiformis mucosa, ramis sparsis (simplicibus) e filo primario inarticulato undique egredientibus.* Palustres & marinæ. Algæ villositate statim dignoscendæ.

3438 34. Drapernaldia. *Frons gelatinosa e filis duplicis naturæ constituta, primariis zonatis, secundariis penicillatis.* Palustres.

f. Oscillatorinæ.

(Fila mucosa subsimplicia, annulis densis parallelis farcta).

3426 35. Oscillatoria. *Fila muco communi matricali involuta, rigida, elastica, oscillantia, striis parallelis tranversis secta.* Palustres & inundatæ, rarius marinæ.

Quamvis fila valde mucosa sunt, minime ad *Nostochinas* referri potest illud genus. Muçus omnino diversæ naturæ, & magis intime cum ipso filo conjunctus neque in formam definitam coagulatus. Singulare illud substratum est, ex quo propullulant fila, quasi ex eorum excrementis vel partibus demortuis exortum. Oscillatio filorum naturam animalem indigitat, licet sæpe orginis mechanicæ, ut ex elasticitate filorum, ex animalculis in substrato nidulantibus &c. Non tamen semper; *Oscillatoriam curvicipitem* sese ut animal moventem pro certo observavimus, sed ille motus repens est, & ab Oscillatione valde diversus.

36. Calothrix. *Fila muco matricali destituta, (affixa), rigidiuscula stricta tranquilla, tubo continuo intus annulato.* Parasiticæ.

A præcedente genere differt, quod deest substratum matricale, licet in *Cal. Confervicola* juventute adsit, quod fila minus rigida minusque fragilia sunt, parum mucosa, acutiusculæ & singulari modo ramosa (ramis lateraliter quasi affixis).

37. Lyngbya. *Fila muco matricali destituta, (libere natantia), flexilia, tranquilla, tubo continuo intus annulato.* Marinæ, rarius palustres vel terestres.

Differt ab *Oscillatoria*, quod mucus matricalis deest, quod fila sunt flexilia & tranquilla, a *Calothrice*, quod libere natantia sunt, curvata, multoties majora, & toto habitu, qui magis in *Confervam* vergit.

38. Bangia. *Fila muco matricali destituta, flexilia, continua, membranacea, intus fasciis punctatis notata.* Marinæ, rarius palustres. 3425.

Fila sæpe plana, punctato-fasciata, non annulata. Hæc Arthrosiphon. m. 8.

39. Sphæroplea. *Fila continua intus globis repleta.* Palustres.

g. Confervæ genuinæ.

(Tubo definite articulato, viridescentes, entospermæ. Uniço genere capsulifero).

40. Nodularia. *Fila articulata, geniculis tumido-globosis.* 3422

Fila mucosa membranacea arachnoidea geniculis (non articulis) tumidis.

41. Zygnema. *Fila articulata ope tubulorum transversalium conjuncta, granulis in stellas vel spiras dispositis.* Palustres.

42. Mougeotia. *Fila articulata reticulatim conjuncta, granulis absque ordine dispositis, fructibus in angulis reticuli collocatis.* Palustres.

Mougeotia genuflexa sine dubio a ceteris *Zygnematis* speciebus separanda, non tantum ob copulationem reticulatam; verum etiam quia granula non in figuras distinctas disposita sunt. Ceteræ species quoad fructum non satis cognitæ, & postea forsan separandæ, huc tantum ob habitum reticulatum relatæ.

43. Hydrodictyon. *Fila articulata reticulatim conjuncta; articuli vivipari novum individuum foventes.* Palustres.

A præcedente differt, quod ab ipso initio reticulatim conjuncta sunt fila, & singulari eorum fructu.

44. Dictyonema. *Fila arachnoidea in fasciculos undique et irregulariter anastomosantes conglutinatæ.* Palustres vel terrestres.

Etiam hujus species reticulatæ; sed non regulariter, neque articuli ex unico filo, sed ex pluribus conglutinatis constant.

45. Conferva. *Fila articulata, libera, distincta, uniformia, entosperma.* Marinæ & palustres. Simplices & ramosæ.

46. Bulbochæte. *Filum primarium articulatum, ex apice articulorum ramulum accessorium subulatum continuum emittens. Capsulæ cum ramulis accessoriis alternantes.* Palustres.

h. Characeæ.

(Rami verticillati, capsuliferi & globuliferi).

47. Nitella. *Fila e simplici tubulo constituta, membranacea, articulata, ramulis verticillatis. Organa fructus duplicis generis et separata (quasi diclinia) 1. nuculæ spiraliter striatæ, ebracteatæ non coronatæ, et 2. globuli colorati.* Marinæ & palustres. 413

Obs. In speciebus enumerandis hæc omissa species:

5 * *Nitella pedunculata*, ramulis furcatis, pedunculo axillari ramulis breviori glomerulum ramulorum sustentante.

In fossis Scaniæ.

48. Chara. *Fila spiraliter striata, articulata, ramulis verticillatis. Organa fructus duplicis generis, alterum alteri approximata, 1. nuculæ spiraliter striatæ bracteatæ coronatæ, et 2. globuli colorati.* Palustres & marinæ.

Globuli maxime memorabilia organa. Tecti sunt indusio subtrilobo multipartito venis coccineis picto includente congeriem filorum curvatorum ad basin corpusculi cyathiformis coccinei affixorum.

Globulum pro parte mascula plerique habent auctores.

Obs. Præter quas species in textis notavimus, has postea inventas addimus:

1 * *Chara Galioides*, caule subsetaceo tenuissime striato sulphureo-albido strigoso, strigis densis patenti-reflexis sparsis.

Chara Galioides, Dec.?
In stagnis Gottlandiæ, Galliæ.

4 * *Chara firma*, caule striato strigoso, strigis reflexis sparsis, ramulis articulatis, articulis diametro 4:plo longioribus, bracteis 4:nis inæqualibus.
In freto Öresundico.

10 * *Chara collabéns*, caule contorto cinerascente striato, superne substrigoso, bracteis linearibus, binis nucula triplo longioribus.
In stagnis Scaniæ.

15 * *Chara pilifera*, caule tenuiter striato glabro fragillimo, ramulis articulatis, bracteis 4:nis, omnibus nucula sesquilongioribus piliformibus.
In stagnis Sveciæ meridionalis.

17 * *Chara fallax*, caule contorto cinerascente striato superne substrigoso, bracteis linearibus, binis nucula triplo longioribus.
In freto Öresundico.

i. Ceramieæ.

(Ectospermæ, purpureæ, geniculis hyalinis. Marinæ. Ad *Florideas* valde accedunt, non nisi articulatione distinctæ).

49. Ceramium. *Fila articulata, rosea vel purpurea, tubo simplici; capsulæ globosæ, sporidia numerosa conglomerata includentes.* Marinæ.

Est quædam diversitas fructus in variis speciebus ut e. g. in tribu *Cer. diaphani*, &

arbusculæ. Cum vero, ad quas species hæc diversitas sese extendat impossibile sit definire, & cum habitu conveniant omnes, in unum genus relinquere satius visum est, quam nova genera vacillantia condere.

50. Griffitsia. *Fila articulata rosea, dichotoma vel rarius verticillata, tubo simplici. Sporidia gelatinæ involucratæ immersa.* Marinæ. 346

51. Champia. *Frons filiformis coriacea articulata purpurea, geniculis clausis, tubo simplici. Receptacula lateralia ramuliformia aggregata, sporidia terna purpurea aggregata sparsa nidulantia continentia.* Marinæ. 347

Genus forsan non hujus familiæ, sed potius ob similitudinem sporidiorum *Chondriæ* approximandum.

52. Chætosfora. *Fila obsolete articulata rosea, vestita ramulis capillaceis fructiferis articulatis, (geniculis corona dentata vaginatis), qui ramuli aut medio includunt globum sporidiorum, aut in receptaculum lanceolatum abeunt setis vestitum, inter quas nidulantur sporidia* Marinæ.

Nondum definire potuimus, an hic duplex fructus revera diversus sit, aut ætate tantum differat.

53. Hutchinsia. *Fila articulata purpurea exsiccatione nigrescentia, intus canalibus subparallelis pluribus percursa. Fructus duplex:* 1. *capsulæ acuminatæ vel truncatæ sporidiis paucis pyriformibus farctæ, et* 2. *globuli massæ sporaceæ seriatim ramulis (ita siliquæformibus) innatæ.* Marinæ. 348

54. Rytiphlæa. *Frons complanata dist chd transverse striata purpurea, exsiccatione nigrescens, ramentis incurvis. Fructus duplex: 1. capsulæ sphæricæ sporidiis pyriformibus, et 2. siliquæ lanceolatæ sporidiis subglobosis.* Marinæ.

h. Ectocarpeæ.

(Olivaceæ, ectospermæ).

Fucoideis valde accedunt, non nisi articulatione & tenuitate distinctæ.

3415 55. Ectocarpus. *Fila articulata, maxime flexilia, olivacea, exsiccatione fusco-rufescentia). Fructus duplex: capsulæ et siliquæ.* Marinæ.

56. Sphacelaria. *Fila articulata rigida olivaceo-fuscescentia distichè ramosa, pinnata. Articuli sæpe fasciati. Sporidia apicibus ramorum incrassatis truncatis sphacelatis demum dehiscentibus inclusa.* Marinæ.

2414 57. Cladostephus. *Fila articulata rigida olivaceo-fuscescentia; primarium solidum, coriaceum undique vestitum ramis ad genicula verticillatis simplicibus vel ramosis brevibus. Fructus capsulæ.* Marinæ. B. Chaetopora

Ordo IV. ULVACEÆ.

Frons membranacea, continua, tubulosa vel explanata, numquam costata, herbaceo-viridis vel rarissime purpurea. Fructus massa sporacea agglomerata, vel granula sparsa coniocystis tecta, aut nuda.

Familia facile dignoscenda & naturalis, a Florideis membranaceis (*Halymenia*, *Delesseria*) distincta fronde multo tenuiore, & fructu tam tenui, ut non supra membranam elevetur.

58. Vaucheria. *Fila inordinate aggregata, tubulosa continua, membrana hyalina pulvere granuloso viridi intus colorata. Fructus coniocystæ homogeneæ.* 3449.

59. Codium. *Frons spongiosa determinatæ formæ, e filis densissime aggregatis, tubulosis continuis pulvere granuloso viridi coloratis composita Fructus coniocystæ ad superficiem frondis fastigiatæ.* 3431

60. Bryopsis. *Fila tubulosa continua nitida, ramis pennatis vel imbricatis, humore viridi incluso colorata.* 3430

61. Alysium. *Frons cava articulato-strangulata, e membrana reticulata constituta, areolis pentagonis.* 3433.

62. Valonia. *Frons saccata et simpliciuscula, vel cylindrica et verticillatim ramosa, membrana hyalina pulvere viridi intus consperso colorata, fibris nullis conspicuis percursa. Fructus coniocystæ aggregatæ, frondem extus cooperientes.* 3432

63. Caulerpa. *Frons stipitata, variæ formæ (pinnata, vel plana, vel ramentis brevissimis imbricatis) membranacea, e surculo repente cartilagineo proveniens.* 3434

Genus naturale, licet fructus ignotus.

3435 64. Solenia. *Frons tubulosa membrana striato-areolata. Sporidia minutissima, densissima.*

65. Tetraspora. *Frons tubulosa vel inflata, gelatinosa. Sporidia quaternata laxa.*

66. Ulva. *Frons plana, membrana æquali (nec striato-areolata). Sporidia minutissima, subquaternata.*

3436

67. Porphyra. *Frons plana purpurea, membrana æquali. Fructus duplex: 1. sori sporidiorum ovalium absque ordine collectorum; 2. lineæ binæ parallelæ utrinque globulo notatæ.*

Solum genus Ulvaceum, quod purpureo gaudet colore.

68. Anadyomene. *Frons flabelliformis conspicue et symmetrice venosa.*

Appendix.

69. Polyphysa. *Stipes calcareus filiformis articulatus, coronatus ramentis saccatis membranaceis viridibus, intus foventibus congeriem vesicularum homogenearum.*

70. Amphibolis. *Stipes corneus filiformis articulatus, ex articulis emittens folia longitudinaliter venosa, rigido-membranacea.*

Licet jam certior factus sum, hoc genus ad *Cauliniam* a Brownio & *Ruppiam* a Labillardiero adnumeratum esse, tamen non pro phanerogama, imo vix pro planta cryptogama, nisi in ipso limite ad Zoophyta positam eam habere possum.

Ordo V. FLORIDEÆ.

Frons coriacea vel rarius membranacea, plana vel filiformis, continua, purpurea vel rosea. Sporidia purpurea in capsulis inclusa vel in soris aggregata.

Radix scutata, rarius fibrosa.

71? Liagora. *Frons (filiformis, subdichotoma, tuberculosa, rigida), extus viscida, exsiccatione fragilis, viridi-albescens. Fructus in fibris fruticulosis apices frondis investientibus.*

Genus Zoophytis affine.

32. Polyides. *Frons (filiformis, fastigiata), cartilaginea, molliuscula, e fibris radiantibus composita. Fructus verrucæ spongiosæ fibris sporidia sustentantibus constitutæ.*

Genus affine *Mesogloiæ multifidæ.*

73. Digenea. *Frons (filiformis) obtecta setis articulatis. Fructus?*

74. Ptilota. *(Frons pinnata pectinata). Globuli sporidiorum involucrati.*

75. Thaumasia. *Frons filis corneis undique articulatis rigidiusculis composita, quorum areolæ membrana implentur.*

Plantæ memorabiles, quorum sceleton filiforme substantiæ est Lichenosæ *(Cornicularia* Ach.) vel *Spongiæ*, & pars foliacea colore & substantia *Rhodomelæ.*

76. Rhodomela. *(Frons vel plano-foliacea, subcostata, vel filiformis). Fructus duplex: lomenta globulis massæ sporaceæ longitudinaliter repleta, et capsulæ sporidiis paucis pyriformibus in capsula sessilibus. (Color exsiccatæ nigricans).* *Hutchinsiam* & *Rytiphlœam* hoc genus tangit.

77. Chondria. *Frons cartilaginea, (filiformis, ramentis subclavatis sæpe obsita). Fructus duplex: capsulæ sporidiis pyriformibus pedicellatis, et globuli sporidiorum ternorum immersi.*

78. Dasia. *(Frons filiformis). Fructus duplex: capsulæ pedicellatæ orificio dentato coronatæ, glomerulum sporidiorum includentes, fasciculis filorum articulatorum circumdatæ; et siliculæ (vel receptacula) filis intermixtæ.*

79. Sphærococcus. *Frons subcoriacea, (vel expanso-plana, et tunc aut dichotoma, aut pinnata, vel filiformis). Fructus: capsulæ sphæricæ intus foventes nucleum globosum sporidiorum rotundorum.*

80. Thamnophora. *(Frons subpinnatifida vel filiformis). Fructus receptacula filiformia fruticulosa, sporidiis duplicis generis, nimirum aut angulatis aut disciformibus immersis.*

81. Grateloupia. *(Frons plana val filiformis, ramentacea). Fructus; tubercula in ramentis aggregata pertusa, sporidiis ellipticis.*

82. Halymenia. *Frons (plana vel tubulosa) submembranacea. Fructus: tubercula punctiformia laminæ frondis subimmersa.*

83. Bonnemaisonia. *(Frons filiformis, compressa, pectinato-ciliata). Fructus: capsulæ sporidiis pyriformibus concatenatis.*

84. Amansia. *Frons (plana) membranacea, costata, transverse dense striata. Fructus?*

85. Delesseria. *Frons membranacea, (stipitata vel acaulis, foliacea vel laminosa, rarissime filiformis). Fructus duplex: capsulæ, et sori sporidiis ternis.*

86. Oneillia. *Frons (plana, stipiti producto altero latere affixa), e reticulo nervorum parallelorum formata. Sporophylla elliptica utrinque nervis reticuli affixa.*

Ordo VI. FUCOIDEÆ.

Frons coriacea, (rarius membranacea), continua, olivacea, (plana vel filiformis). Sporidia nigra in capsulis vel ovatis inclusa, limboque hyalino cinctis & in receptaculo proprio aut soro nidulantibus, vel pyriformibus frondi immersis.

Color frondis & sporidiorum character præcipuus. Plerique ad *Laminarieas Ulvaceis* conjungendas propensi sunt, ob substantiam membranaceam; sed capsulæ exacte eædem ac in *Fucis* genuinis, & color ab *Ulvaceis* valde distinctus.

a. CHORDARIEÆ.
(Filiformes).

3397 87. LEMANEA. *Frons (filiformis, torulosa) tubulosa. Catenæ sporarum interiori fili paginæ affixæ, penicillatæ, moniliformes.* Fluviatiles.

Genus disponere difficillimum, vera crux Algologorum. A *Nostochinis* differt substantia nullo modo gelatinosa, & structura composita, & fructu discreto. A *Confervoideis*, quibus alias refertur, fronde continua, colore olivaceo, substantia coriacea. *Fucoideis* valde approximatur colore, substantia & structura, licet nulli alii generi affine, & domicilium sit diversum.

3396 88. CHORDARIA. *Frons (filiformis) cartilaginea, e filis concentricis clavatis constituta.*

3394 89. SCYTOSIPHON. *Frons (filiformis) membranaceo-coriacea, olivaceo-lutescens, tubulosa, sporidiis pyriformibus superficiem exteriorem frondis constituentibus.*

3395 90. SPOROCHNUS. *Frons (filiformis, vel plana linearis) cartilaginea. Receptacula (minuta) e corpusculis clavæformibus articulatis concentricis constituta, fasciculis penicillorum (sæpe) coronata.*

b. LIMINARIEÆ.
(Expanso-foliaceæ, membranaceæ, exsiccatione lutescentes, raro nigrescentes).

3393 91. ENCOELIUM. *Frons tubulosa vel vesicata, punctata; fructus: apiculi massâ sporaceâ nigra repleti.*

Character fructus ex *Encœlio echinato* haustus. — Genus *Zonariis* valde affine.

92. Haliseris. *Frons (plana, linearis, costata), membranacea. Capsulæ in soris coacervata.* 339a

93. Zonaria. *Frons (subtiliformis vel dichotoma, ecostata) submembranacea, e fibris parallelis constituta, lineis fructiferis (plerumque) transversis; capsulæ in soris coacervatæ.* 339

94. Laminaria. *Frons (fibrose radicata, stipitata) membranacea vel coriacea; fructus, granula pyriformia in lamina frondis soros (maximos) formantia.* 340

c. Fucaceæ.

(Exsiccatione nigrescentes vel fuscæ, receptaculis distinctis, sæpe tuberculatis & poro pertusis).

95. Polyphacum. *Frons coriacea (prolifera, spinulosa). Receptacula siliquæformia.*

Genus nondum satis notum, habitu singulari instructum.

96. Lichina. *Frons cartilaginea (dichotoma, lichenosa, filiformis) tuberculis terminalibus.* 3344

Fructus nondum bene cognitus. Tubercula, ut fructus *Ficus*, apice poro pertusa, non aliis sporidiis detectis, quam fila minutissima moniliformia immersa.

97. Furcellaria. *(Frons dichotoma, filiformis). Fructus: apices frondis in receptacula tumescentes, capsulis limbo hyalino cinctis in centro receptaculi coacervatis.* 3385

98. Fucus *(Frons aphylla, vesiculis immersis instructa vel destituta). Receptacula (elliptica) non loculosa, tuberculata, tuberculis per-* 3386

tusis; includentibus glomerulos fibrarum capsularumque massæ interiori mucosæ immersos.

3387 99. Cystoseira. (*Frons in partes discretas abiens, foliis superioribus filiformibus et vesiculas subconcatenatas ferentibus*). *Receptacula tuberculata, loculosa, tuberculis pertusis continentibus capsulas filis intermixtas.*

3388. 100. Macrocystis. (*Frons in partes discretas abiens. Folia enervia, vesiculis magnis petiolatis insidentia*). *Tubercula foliis immersa, includentia glomerulos sporidiorum.*

Genus nondum satis notum, nullo autem modo, ut mihi videtur, *Laminariæ* conjungendum.

3389 101. Sargassum. (*Frons in partes discretas abiens. Folia petiolata subcostata. Vesiculæ axillares petiolatæ*). *Receptacula tuberculata, loculosa, tuberculis pertusis, continentibus capsulas fibris nullis interjectis.*

Vix pro certo affirmare possumus, hæc quatuor ultima genera vere distincta esse, cum partes fructus tantum microscopio observari possunt, sed habitus saltem dissimillimus, nisi in *Macrocysti*, quæ *Sargasso* convenit, & situ fructus tantum differt.

Ordo I.

DIATOMEÆ.

1. Achnanthes.

1. *A. brevipes*, articulis bipunctatis, stipite brevissimo.
   Echinella stipitata, Lyngb. t. 70. — Jurg. 13.
   Achnantes adnata, Bory. Kützn. 1840 f. 2
   In mari Boreali.

2. *A. longipes*, articulis unipunctatis, stipite elongato.
   Conferva armillaris, Müll. N. Act. Holm. 1783. t. 3. f. 6. 7. — Web. & M.
   Conferva stipitata, E. B. t. 2488.
   Diatoma vexillum, Jurg. 6.
   In mari Boreali.

2. Frustulia.

1. *F. obtusa*, frustulis linearibus utrinque obtusis.
   Echinella obtusa, Lyngb. t. 69. — Jurg. Dec. 14.
   Diatoma scalaris, Grat.!?
   In rivulis Daniæ, Galliæ.

2. *F. acuta*, frustulis linearibus utrinque acutis hyalinis medio stria transversali opaca notatis.
Echinella acuta, Lyngb. t. 69.
In aquis quietis Scaniæ, Fioniæ.

3. *F. minor*, frustulis lanceolatis utrinque acutis medio hyalinis, apicibus opacis.
In aquis quietis Scaniæ.
Præcedente duplo minor.

4. *F. cuneata*, frustulis cuneatis postice bidentatis.
Echinella cuneata, Lyngb. t. 70.
